



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Vita B. Francisci Xaverii**

**Torsellini, Orazio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

IV. Miracula per eum post mortem edita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42323**

## CAPVT IV.

*Miracula per eum post mortem edita.*

**N**IHILO autem magis Xauerij vita  
 quam mors talibus sanctimonix  
 notis clara fuit, & insignis. Quippe Deus,  
 qui *mirabilis est in Sanctis suis*, Francisci  
 corpus, templum, dum viueret, Spiritus  
 sancti, post mortem multis illustribusq;  
 adornauit miraculis. Namque (vt ante  
 diximus) eius cadauer effosum, cum ter-  
 tum iam mensem in calce viua fuisset,  
 torsus integrum repertū est, cum odore  
 eundem iucundo suauique. Quod sanè  
 miraculum & perpetuum fuit, & multi-  
 plex. Eandem enim integritatem suauit-  
 atemque odoris perpetuo retinuit, et-  
 iam posteaquā Malacæ menses 6. huma-  
 tum iacuerat sine loculo. Ad hæc diuina  
 in corpore impertita vis redundans in  
 vestimenta, ea quoque penitus incorru-  
 ta atque intacta ab omni seruauit tabe.  
 Atque etiam (quod admirabilius est)  
 quinque post obitū mensibus, cum Ma-  
 lacæ humaretur, effudit cruorem, cuius  
 vestigia vsque ad Goanam sepulturam,  
 hoc est, ad decimum sextum post exces-  
 sum eius mensem, recentia manserunt.  
 Itaque non magis inclyta Francisci san-  
 ctitas,



etitas, quàm fama de eius corporis integritate, Goanos quoque, cunctamq; penè Indiam, ad eius funus exiuit. cuius quidem species (vt ostēdimus) triumpho fuit, quàm funeri similior. Tāti portò omnium ordinum vndique ad sanctum corpus etiam sub funus concursus facti sunt, quantos nemo vnquā meminerat, vt triduum totum, vt diximus, omnium oculis expositū relinqui oportuerit. Adde huc, quòd sacri illius corporis religio adeò cunctorum perfuderat animos, vt omnes certatim sacras illas reliquias rosarijs contingere, & aliquid inde surripere niterentur. Denique hoc ipsum corporis miraculum Deus ipse ita multis & apertis miraculis (quæ deinceps exponentur) honestauit, vt æquis iniquisque omnibus animi beati fecerit fidem. Atque hæc quidem, quæ de Francisci commemorauim⁹ corpore, adeò testata sunt, vt tot habuerint testes, quot per eos dies Goæ fuerunt; hoc est, Indiam propemodum vniuersam. Cæterum ne fortè tam insigne Dei immortalis beneficium apud aliquē plus admirationis haberet, quàm fidei; humano pariter diuinoque consilio factum, vt priuatis testimonijs accederent publica. Namque Ambrosius Ribera, Inquisitor, idemque Goani Episcopi Vi-



pi Vicarius Generalis, cum tanti mira-  
 culi fama totam Indiam peruasisset, eam  
 rem pertinere ad munus suum ratus, vnâ  
 cum peritissimis medicorum ad Franci-  
 sci corpus, prius quàm sepeliretur, inspi-  
 cendum accessit, exploraturus, an inte-  
 rum incorruptumq; penitus esset, quod  
 crebat fama. Is igitur perspecta in præ-  
 sentia corporis integritate fidem exce-  
 lente, ac deinde eximia viri sanctitate,  
 regis Lusitani iussu inquirendo explo-  
 rata, clarissimum dedit testimonium ve-  
 rati. Quod totidem verbis interponere  
 loco, operæ pretium visum est. Te-  
 stificor ego D. Ambrosius Ribera, In-  
 uisitor, & Vicarius Generalis, idemque  
 tutor Episcopi Goani atque Indici, no-  
 iam annos, quibus hisce in locis uerij.  
 for, Franciscum Xauerium oppida ac,  
 os Indiæ, Malacæ, Moluci, Iaponiæ,  
 lia remotissima Barbarorum loca cir-  
 mcurfasse concionando, & Christianæ,  
 ei mysteria ac præcepta tradendo, tum,  
 sitanis hominibus, tum verò cæteris,  
 tribus ac nationibus, iisdemq; in locis,  
 eximum Ethnicorum numerum ad,  
 ristis conuertisse cultum: complura,  
 ssum templa excitasse: eiusq; rei causa,  
 rimis maximisq; ærumnis ac labori-  
 as ad extremum usq; spiritum esse per-  
 sua-

*Inquisito-  
 ris & Vi-  
 cariij testi-  
 monium  
 de sancti-  
 tate Xa-*



*Eiusdem  
testimoni-  
um de in-  
tegritate  
corporis.* functum. Eiusdem porrò corpus Goam  
aduectum, solemniq̄ue exceptum pom-  
pa, ab vniuerso clero ac ciuitate ad Col-  
legium S. Pauli delatum, sepultumq̄ue.  
Verùm quia rumor de eius corporis in-  
tegritate percrebuerat, cùm videretur su-  
pra vires naturæ, ac diuinum prorsus mi-  
raculum, corpus tamdiu vita functum,  
quippe quod menses vndecim humatura  
fuisset, tres apud Sinas, octo Malacæ (vti  
Prorex Indiæ Alphonsus, Noronia, & e-  
go, haud dubijs auctorib⁹ comperimus)  
ab omni tabe alienum atq; immune per-  
stare mensem iam sextum decimum; rem-  
vtiq; mihi pro meo munere cognoscen-  
dam atque explorandam existimaui. Ita-  
que templum, vbi iacebat, adij: arcam a-  
periri iussi: facibus accensis, vna circiter  
ante meridiem hora, Francisci corpus in-  
spexi: brachia, crura, vsque ad genua &  
coxendices, & maximã corporis partem  
(vt ex apertis facilis esset tectis de parti-  
bus coniectura) diu multumq; tentauit,  
tractauitq̄ue: ac totum corpus integrum  
inueni, omnisq; planè tabis expers; atque  
insuper omnino recens, carne solida, na-  
tiuo succo & colore. Vidi etiam in coxen-  
dice sinistra, paulū supra genu, quasi vul-  
nus, vnde frustulum carnis instar digiti  
abscissum erat. Itemq̄ue aliud vulnus in  
ven-



ventre, in quo egomet, digitis insertis, ni-  
 hil non integrum atque incorruptum re-  
 peri, & sine graui odore. Ad hæc os meū  
 ori illius adinoui, totamque faciem sum-  
 ma cum cura pertentaui atque perspexi.  
 Quare hæc omnia explorata, vti à me  
 comperta erant, tabellionem meum li-  
 teris consignare iussi, & ipse mea manu  
 testimonium subscripsi, obsignauique.  
 Kal. Decembris, M. D. LVI. Proregis  
 quoque medicus nobilis, Domini iussu,  
 perspecto Francisci corpore, nihilo ob-  
 scurius eius integritati tribuit testimo-  
 nium, quod eiusmodi fuit: Testificor e-  
 go D. Cosinus Saraina, medicus Alphon-  
 si Noronia Proregis India, cum Franci-  
 sci Xauerij corpus Goam delatum foret, mij medi-  
 cū aspectum à me, ac pertentatum, præci-  
 pi verò ventrem, quæ pars maximè  
 obnoxia solet esse tabi: ibique reperta à  
 me intestina integra prorsus, solidaque,  
 tum neque balsamo, neque oleo, nec a-  
 re vlla aduersus tabem condita illitá-  
 re esse constaret. Inde cum me auctore  
 plagam, quæ propter cor in sinistro  
 patebat latere, quidam è Societate I E S V  
 digitos immerisset; aqua mistus effluxit  
 cruor, quem ego olfaciens, haudqua-  
 quam grauiter olere sensi. Crura quo-  
 que & reliquas corporis partes integras

*De corpo-  
 ris integri-  
 tate exi-  
 mij medi-  
 ci testimo-  
 nium.*

Y COM-



» comperi, carne adedò solida atque nativa,  
 » vt medicorum operâ illo modo conser-  
 » uari neutiquam possit. Quippe iam ferè  
 » sesquiannum id corpus vacabat animo,  
 » & prope annum totum iacuerat in sepul-  
 » cro, Hæc ego iuratus testificor, pro eo,  
 » quod mihi datum est in hac re, negotio.  
 » Goæ xiv. Kal. Decembris M. D. LVI.

*Agra mu-  
 lier Fran-  
 cisci cor-  
 pus vene-  
 rata sa-  
 rantur.*

lanum. Inde ad Baticalum Indiæ oppi-  
 dum vbi ventum est, Maria Sarra, regij  
 Procuratoris vxor, femina Lusitana satis  
 honesta, graui affecta iacebat morbo,  
 quæ de Xauerij corpore certior facta, ex-  
 templo eò se deuehi deferriq̃ue imperat,  
 sancti viri nõ minore fiducia, quàm pie-  
 tate opem implorans. Haud incassum  
 missæ preces: protinus deprecatione Xa-  
 uerij, diuinoq̃ue munere, conualescit. Ea-  
 dẽ mulier cinguli, quo præcinctus Fran-  
 ciscus erat, frustulam summis precibus  
 expressum in argenteam inclusit thecam,  
 eamq̃ue suspensam è ceruice gestauit,

vel



vel monumentum Francisci, vel mor-  
 borum remedium. Nec sua illam pie-  
 tas frustrata est. Paruum filium sextum *Xaverij*  
 iam mensem graui febris conflictatū the- *cingulum*  
 ca illa admota sanauit, eundemque dein- *multis &*  
 de releuauit diutina oppressum apople- *grauibus*  
 xia. Ancillæ item periculosè parturientis *morbis*  
 collo alligata, facilè ei præstitit partum. *medetur.*  
 Febrim quoque viro ægrotanti discussit:  
 pustulosisque pueris duobus grauius la-  
 borantibus pustulas ac morbum abster-  
 sit omnem. Hæc omnia ipsamet Procu-  
 toris Baticalensis coniux iurata narrauit.  
 Goæ porro satis constat ægros plures  
 Francisci corporis contactu valetudinem  
 recuperasse. In his ancillam inter par-  
 turendum exanimatam, ac morti pro-  
 ximam (quippe foetus materno in vêtre  
 extinctus, & in transuersum iacens, ex-  
 trahi nulla nequibat arte) aliquot Fran-  
 cisci capillis, qui in theca religiosè asser-  
 uabantur, admotis, repentè præsentem pe-  
 riculo ereptum, foetu mortuo effuso. Id  
 eius dominus Antonius Saa iuratus te-  
 stificatus est: qui etiam adiecit, domi suæ  
 mulierem indigenam, partus difficultate  
 iam deploratam, eadem reliquiariâ thecâ  
 admotâ, statim foetū incolumè enixam  
 esse: constat alios item plures varijs eiusdè  
 reliquijs varios depulisse morbos. Illud



*Vir nobilis Francisci manu oculis suis admota lumen recipit.* memorabile. Antonius Rodericus, vir minimè obscurus, diutinâ pituitâ adeò captus erat oculis, vt ne eos quidem cerneret, quibuscum cominus loqueretur. Is damnata medicorum spe, quorû medicamenta frustra expertus fuerat, ad Xauerij sepulcrum duci se iubet. Patres exorat, vt loculum aperiant. Francisci manus oculis admouet suis, repentè caligine excussa cernere incipit; breuique pristinum recipit lumen oculorum. Id adeò ipse iuratus exposuit. Nec minùs memorabile est quod contigit Balthasari Dias Sacerdoti. Is angina fauces premente, nihil prorsus deglutire poterat.

*Loculi clauis pituitam depellit.*

Itaque, humana ope desperata, vertit se ad diuinam, clauem loculi, vbi Franciscus asseruatur, petit, attingit, sanatur: adeòq; repentè pituita defluxit, vt clauis illa, beneficio Xauerij, gutturis claustra aperuisse videretur. Cæterùm illud longè clarissimum.

*Primaria femina cupida visendi Xauerij ex graui morbo conualescit.*

Ioanna femina primaria diuturno afflictata morbo, iamq; morti proxima erat, cum diu noctuque ad eius lectum domesticis excubantibus Xauerij corpus delatum est Goan. Ergo simul festo campanarû sono, simul sanctimonix miraculorumque eius famâ excita, mulier Christophorum Pereriam, virum suum, aliosq; qui aderant, rogat etiã atq; etiam,



etiam, vt ad Xauerij funus deferri se finant. Negant illi sine manifesto vitæ eius discrimine fieri posse: atque in eo obstinato animo perstant. Non tamen mulieris pietas incassum cecidit. Ex eo tempore melius habere cœpit; magnisque in dies virium incremētis haud multo post conualuit prorsus. adeò non solum tangendi, verum etiam videndi cupido ipsa agris salutis fuit. Certis etiam auctoribus *Francisci* compertum, flagella ex funiculis, quibus *flagellum* Franciscus se diuerberare solitus erat, à *multis salutare.* neophyto quodam piè admodum asseruata, atq; horum beneficio sanitatē redditam nonnullis, aliaque multa sanè admirabilia perpetrata. Quocirca Francisci Xauerij nomē in India, totoq; Oriente, & est & fuit magna apud omnes non gloria solum, sed etiam veneratione: vulgoq; mortales eius fidem & patrocinium implorant. Itaq; nautæ & vectores, quoties Sancianum insulam, vbi primū Xauerium humatū diximus, præteruehuntur, Franciscum consueuerunt inuocare, velut sanctum virum, in beatorum cœtu collocatum. Neq; verò Indiæ & Orientis finibus Xauerij vis & fama se tenuit; sed Oceanum transgressa peruasit in Europam. Ehora vrbs est Lusitaniæ, egregia in primis ac nobilis, vbi Collegium est Societa-



510 FRANCISEI XAVERII

cietatis IESU, ab Henrico Cardinali, qui  
 deinde Rex fuit, exædificatum, nec illius  
 magnificentiâ nec amplitudine verbis in-  
 dignum. Hic per id tempus, quo nuncij  
 de Xaverij obitu miraculisq; allati sunt,  
 (vt mihi talia scribenti vir haudquaquam  
 vana fide narrauit) primores Patrum  
 duo Leo Henricus Collegij Rector, &  
 Andreas Capreda Confessarius eximius,  
 graui vrgebantur feбри; quos admirabi-  
 lium Francisci rerum fama ad spem re-  
 cuperandæ sanitatis erexit. Leo igitur In-  
 dicas litteras, vbi felix Francisci excessus,  
 & illustre miraculis finus perscribeba-  
 tur, afferri sibi recitariq; iussit. Quibus  
 recitatis, extemplo quasi diuino instin-  
 ctus numine, & Xauerianę virtutis admi-  
 ratione excitatus, super lectum, vbi iace-  
 bat, cubito alleuat se: & manus oculosq;  
 tendens in cœlum, pari pietate ac fiducia  
 contra vim morbi Franciscum implorat;  
 ne minus benignus in suos foret, quam  
 fuisset in alienos. Nec vana spes aut im-  
 ploratio fuit: preces sanitas excepit. Cō-  
 tinuò Henricus febrim sibi, quasi diuina  
 manu depulsam, vires præterea redditas  
 sensit. Ergo gaudio exclamans, obortis  
 lacrymis, suppliciter gratulatur Deo, Frã-  
 cisci que vim prædicat, omnibus qui ad-  
 etant, stupore attonitis. Mox sanus ac va-  
 lens

*Francisci  
 invocatio  
 duos Pa-  
 tres è So-  
 cietate  
 sanat in  
 Europa.*



lens exilit è lecto, & ad Capredam mor-  
 bi socium lætus accurrit. Ille haud igna-  
 rus quem grauius modò Leo ægrotaret,  
 stupere scilicet, & quid tandem rei esset  
 rogare. Tum Leo, tota re breuiter ex-  
 posita, non verbis magis quàm rebus of-  
 tendit, in sui morbi depulsiōe quã præ-  
 sentem Xauerij expertus sit opem: simul-  
 què monet, idem ipse vt faciat, profectò  
 simili in causa par eiusdem auxilium ex-  
 perturus. Haud mora, paret ille, excitat  
 fiduciam, Xauerium inuocat. Nec spe  
 frustratur sua: ipse quoq; citiùs omnium  
 expectatione febris liberatur. Ita gemi-  
 no miraculo sociorum duplicata lætitia,  
 & Francisci sanctimonia clariùs com-  
 probata. Horum, quos nominauimus,  
 Leo Henricus hodiequè superstes est in  
 Lusitania, expertæ Xauerij virtutis testis  
 luculentus. Quæ deinde fama cum ema-  
 nasset; plures non modo è Societate, ve-  
 rùm etiã alieni homines, Francisci virtu-  
 tem mirari, sanctitatemquè venerari cœ-  
 perunt. Parisijs (vt minora omittamus) su-  
 pererat, cum hæc scriberemus, vir qui-  
 dam honestus ac pius, nō minùs probita-  
 te quàm ætate venerabilis. Is ita comme-  
 morabat, se, cum primū allatum esset de  
 obitu Francisci Xauerij, quem fama tan-  
 tū, & auditione cognouisset, mirè ad illius

*Parisis  
 implora-  
 tus femi-  
 na mori-  
 bunda par-  
 tum faci-  
 lem præ-  
 bet.*



venerationem excitatum. Itaq; cū per id tempus vxor sua ex labore partus iaceret moribunda, desperata à medicis valetudine; quædam illi de Xauerij sanctimonia ac virtute narraſſe; ac magnopere ſuaſiſſe, vt ſancti viri imploraret auxilium, haud dubiè affuturum. Paruiſſe illam impensè monenti viro. Ne multa. Implorata Xauerij ope, coniugem incolumem facili felicique partu enixam eſſe factum. Sic matrem ſimul, ac prole, Xauerij deprecatione à præſenti periculo vindicatam. Nee verò natale Franciſci ſolum eximiam aiumni ſui ſanctitatem eodem tempore ignorauit. Compertum eſt domesticis prodigijs præſignificatam eius mortem eodem loco, vbi acceperat vitam. In Xauerio caſtello, atque adè in ipſa natali Franciſci domo, ſacellum eſt, vbi Chriſti crucifixi effigies religioſiſſima & illis locis antiquiſſima viſitur. hîc prodigium fuit viſu euentuq; mirabile. Conſtat ligneum hoc, quod dixi, Chriſti ſimulacrum, quoties Xauerius grauius aliquid pateretur in India (quod ex eius literis domiſtici collatis temporibus compererunt) haud dubio ſudore fluxiſſe: porrò eo ipſo anno, quo Xauerius extinctus eſt, ferijs ſextis deinceps omnibus, per annū totum ſudare ſanguine.

*Chriſti effigies in Xaueria villa ſudat ſanguine.*



ne: sudandi autem initium feria itē sexta fecisse. Quod homines sic sunt interpretati, perinde quasi Francisci (*qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore portauerat*) mortem post maximos ac diutinos labores Christi causa exsudatos portenderet.

## CAPVT V.

*Studium orationis.*

**R**ES admirabiles, quæ (vti demonstrauimus) partim diuina vi patratae sunt à Xauerio, partim ei diuinitus contigere, testimonia quædam fuerunt atque indicia eximiarum virtutum atque donorum, quæ in eius animum diuina bonitas plenâ (vt dicitur) congefferat manu. Neque enim miraculis quàm cœlestibus virtutibus insignior fuit. Ex quo numero aliquot à nobis (quæ etsi sedulò ab illo occultatae, tamen sua sponte foras eminebant) in vulgus edentur. Eoque libentius hæc quàm superiora persequar, quòd sanctimonix sint non indicia solum, sed etiam exempla: quippe cum illa in admirationem tantum, hæc etiam in imitationem cadant. Atque vt ab ea virtute initium capiamus, quæ caput est ac fons aliarum; orationis, contemplationis, meditationisque studium in illo exi-

Y s mium